

## ETAPES 1 ET 2

Texte : extraits du *De Vita duodecim Caesarum*, Divus Iulius, livre I , XLV.  
( *Son portrait. Son tempérament, ses habitudes* )

Fuisse traditur excelsa statura, colore candido, teretibus  
membris, ore paulo pleniore, nigris uegetisque oculis, ualitudine  
prospera, nisi quod tempore extremo repente animo linqui atque  
etiam per somnum exterreri solebat.

Comitiali quoque morbo bis inter res agendas correptus est.

Circa corporis curam morosior, ut non solum tonderetur  
diligenter ac raderetur, sed uelleretur etiam, ut quidam  
exprobrauerunt, caluitii uero deformitatem iniquissime ferret saepe  
obtrectatorum iocis obnoxiam expertus. Ideoque et deficiensem  
capillum reuocare a uertice adsueuerat et ex omnibus decretis sibi a  
senatu populoque honoribus non aliud aut recepit aut usurpauit  
libentius quam ius laureae coronaे perpetuo gestandae. Etiam cultu  
notabilem ferunt: usum enim lato clavo ad manus fimbriato nec  
umquam aliter quam ut super eum cingeretur, et quidem fluxiore  
cinctura; unde emanasse Sulla<sup>1</sup> dictum optimates saepius  
admonentis, ut male praecinctum puerum cauerent.

---

<sup>1</sup> Homme politique romain connu notamment pour ses actes tyranniques

## **ETAPES 3 ET 4**

Texte : extraits du *De Vita duodecim Caesarum*, Divus Iulius, livre I , LXXVI. (*ses privilèges*)

Non enim honores modo nimios recepit: continuum consulatum, perpetuam dictaturam praefecturamque morum, insuper praenomen Imperatoris, cognomen Patris patriae, statuam inter reges, suggestum in orchestra; sed et ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est: sedem auream in curia et pro tribunali, tensam et ferculum circensi pompa, templa, aras, simulacra iuxta deos, puluinar, flaminem, lupercos, appellationem mensis e suo nomine; ac nullos non honores ad libidinem cepit et dedit.

Texte : extraits du *De Vita duodecim Caesarum*, Divus Iulius, livre I , LXXXII. (*son assassinat*)

Assidentem conspirati specie officii circumsteterunt, ilicoque Cimber Tillius, qui primas partes suscepérat, quasi aliquid rogaturus proprius accessit renuentique et gestu in aliud tempus differenti ab utroque umerō togam adprehendit: deinde clamantem: "Ista quidem uis est!" alter e Cascis auersum uulnerat paulum infra iugulum.

Caesar Cascae brachium arreptum graphio traiecit conatusque prosilire alio uulnere tardatus est; utque animaduertit undique se strictis pugionibus peti, toga caput obuoluit, simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet etiam inferiore corporis parte uelata.

Atque ita tribus et uiginti plagis confossus est uno modo ad primum ictum gemitu sine uoce edito, etsi tradiderunt quidam Marco Bruto irruenti dixisse: kai su teknon; exanimis diffugientibus cunctis aliquamdiu iacuit, donec lecticae impositum, dependente brachio, tres seruoli domum rettulerunt.

Nec in tot uulneribus, ut Antistius medicus existimabat, letale ullum repertum est, nisi quod secundo loco in pectore acceperat.